

# DE HUMANIS LITTERIS

## DE PLINII EPISTULARUM I-XIV AD TRAIANUM TEMPORE <sup>1</sup>.

**E**PISTULA prima Traianum nouum imperatorem statim post mortem Neruae, qui ante d. VI Kal. Febr. a. 98 decessit <sup>2</sup>, gratulatur.

In secunda Plinius Traiano pro iure trium liberorum gratias agit. Quod ius Plinius "inter initia felicissimi principatus" obtinuit atque, nisi fallor, ante mensem Martium a. 98; nam L. Iulius Ursus Seruianus, qui Plinium Traiano commendauerat, consulatum illo mense probabiliter Romae gessit <sup>3</sup>. Antea autem in Germania non procul a Traiano commorans <sup>4</sup> illud ius Plinio impetrare et imperatoris rescriptum in urbem rediens apportare potuit.

In epistula III A Plinius imperatori nuntiat se a senatu aduocatum prouincialibus contra Marium Priscum datum esse. Cum in praefectura aerarii Saturni ab omnibus aduocationibus renuntiauerit, imperatorem petit, ut permissionem huius causae suscipiendae impetret. Quam imperator statim in ep. III B concedit. Marius Priscus, a. 97/98 prouinciae praefuit, aestate a. 98 a prouincialibus accusatus, a. 100 ineunte a senatu condemnatus erat <sup>5</sup>. Haec epistula aestate a. 98 data est.

Plinius iam a Nerua petiuerat, ut Uoconium Romanum in amplissimum ordinem promoueret. Sed ab eo principe promotionem non obtinuit, quia Romani mater liberalitatem sestertii quadragies, quod conferre se filio codicillis ad Neruam scriptis professa fuerat, nondum satis legitime peregerat. Postea a Plinio admonita id fecit. Quare nunc

---

<sup>1</sup> Th. MOMMSEN. *Etude sur Pline le Jeune*, trad. par C. MOREL, Parisiis, 1873, p. 25 sq., has epistulas, octaua et nona excepta, temporis ordine publicatas esse putauit. Eius aduersarii octauam cum nona ex illo ordine non excipiunt. DURRY in recenti editione (*Pline le Jeune*, Tome IV, coll. Budé, Parisiis, 1947), nunc Mommsenium, nunc aduersarios eius sequitur et sibi ipsi contradicit, nam ep. VIII ad Trainum Classicique causam in p. 24 quamquam dubitans cum Mommseno a 101 adscribit, sed in p. 183 n. 2 eandem causam a. 98-100 actam esse arbitrat.

<sup>2</sup> E. GROAG et A. STRIN. *Prosopographia imperii Romani saec. I, II, III*, 2<sup>a</sup> ed., II, 292, nr. 1227.

<sup>3</sup> G. CALZA. *Due nuovi frammenti di Fasti Ostiensi*, in *Epigraphica*, I, 1939, 162, *L'Année Epigraphique*, 1940, p. 33, nr. 93.

<sup>4</sup> GROAG. *Real Encyclopädie der Class. Altertumswiss.*, X 882 sq., nr. 538.

<sup>5</sup> V. dissertationem meam Louaniensem, quae inscribitur "*De Plinii epistularum nouem libris quaestiones chronologicae*" (Louanii 1949) ad II 11 et III, 4.

Plinius nouo imperatori eandem petitionem mittit. Ex quo manifestum fit epistulam quartam brevi post mortem Neruae, i. e. anno 98, missam esse.

In epistula quinta Plinius Traianum rogat, ut Harpocrati iatraliptae, quem proximo anno in grauissima ualetudine usque ad periculum uitae uexatus adsumpsit, det ciuitatem Romanam. In sexta Traiano gratias agit, quod ciuitatem Harpocritae indulsit, sed a peritoribus admonitus debuisse se ante ei Alexandrinam ciuitatem impetrare, deinde Romanam, denuo rogat, ut utramque ciuitatem tribuat. Quod Traianus in septima promittit, sed nomum Harpocritis indicandum esse obseruat, ut epistulam Plinio ad Pompeium Plantam, praefectum Aegyptiv, mitat. In epistula decima Plinius nomum indicat et epistulam ab imperatore ad Plantam promissam expectat.

Harum epistularum tempus ex ualetudinis indicatione statui potest. In epistula enim VIII ad Traianum certe ante Kal. Septembres a. 98 missa Plinius dicit: "... Sed primum mea, deinde patris tui ualetudine, postea curis delegati a uobis officii retentus ..." Quod Plinius praefecturam aerarii Saturni a. 98 ineunte obtinuit<sup>6</sup>, Nerua autem mense Ianuario obiit, ualetudo ipsius Plinius certe a. 97 exeunti adscribenda est. Ergo illud "proximo anno" epistulam a. 98 missam esse demonstrat. Temporibus autem spatium inter ep. V et X non est magnum. Itaque, si ep. V aestate a. 98 data est, decima probabiliter eodem anno missa est. Ex eo, quod in ep. X Plinius scripsit; "Obuiam iturus, quo maturius, domine, exoptatissimi aduentus tui gaudio frui possim, rogo, permittas mihi quam longissime occurrere tibi", Stobbe epistulam a. 99 breui ante imperatoris reditum missam esse concludit<sup>7</sup>. Similiter idem doctus uir epistulas III-X anno 99 adscribit. Sed rectius cum Ottone censendum est Plinium iam a. 98, falsa fama de imperatoris reditu audita, epistulam X scripsisse<sup>8</sup>. Omnia enim argumenta has epistulas a. 98 exaratas esse monstrant.

Epistulae octaua et nona eodem tempore scriptae sunt atque ep. III 4. Mommsen autem epistulis libri tertii a. 101 attributis idem de ep. VIII et IX ad Traianum iudicauit. In epistula uero III 4, 3 scriptum est: "Cum publicum opus mea pecunia inchoaturus in Tuscos excurrens accepto ut praefectus aerarii commeatu, legati prouinciae Baeticae questuri de proconsulatu Caecilii Classici aduocatum me a senatu petierunt". Quae uerba sine dubio eundem commeatum designat de quo in ep. VIII ad Traianum agitur: "Sed primum mea, deinde patris tui ualetudine postea curis delegati a uobis officii retentus, nunc uideo commodissime posse in rem praesentem excurrere. Nam et menstruum meum Kalendis Septembribus finitur, et sequens mensis complures dies feriatos habet".

Iam in dissertatione mea de ep. III 4 et 9 tempore inquirens Classicum anno 98 accusatum fuisse demonstraui. Epistulae igitur octaua et nona ordinem chronologicum, semper in hoc libro conseruatum, non destruit, ut false Mommsen affirmauit<sup>9</sup>.

<sup>6</sup> V. dissertationis meae appendicem II: De Plinii cursu honorum.

<sup>7</sup> H. F. STOBBE. *Zur Chronologie der Briefe des Plinius*, in *Philologus*, 30, 1870, p. 364.

<sup>8</sup> W., OTTO. *Zur Lebensgeschichte des j. Plinius*, Monachi, 1921, pp. 68-69.

<sup>9</sup> Cf. OTTO. *Op. cit.*, 82-83.

Hac interpretatione accepta temporis spatium inter epistolam tertiam et octauam nimis breve apparere potest, cum Marius Priscus proconsulatum usque ad pridie Kal. Iul. (vel Iun.)<sup>10</sup> administrauerit et initio mensis Iulii (vel Iunii) a prouincialibus accusatus sit. Epistula igitur tertia circa idem tempus missa est, octaua autem ante Kal. Septembres eiusdem anni. Sufficiuntne duo vel unus et dimidiatusque mensis ad hoc commercium litterarum inter Plinium Romae et Traianum in Germania Superiore degentem? Ad hoc recte ut uideatur Otto respondit<sup>11</sup>: nullum argumentum est, quod demonstret epistulas tertiam, quartam, quintam, sextam et octauam diuerso tempore ad imperatorem missas esse; possibile est duas vel etiam tres per eundem cursorem allatas esse. In una epistula omnes illas petitiones exponi non potuerunt, quia aliae ad alia imperatoris officia pertinebant. Itaque possibile est epistulas tertiam, quartam et quintam simul missas esse. Ep. VI responsum sine mora est, ergo cum sequenti cursore missum<sup>12</sup>. Cursus autem ita institutus erat, ut epistolae ex urbe ad imperatorem in castris apud Rhenum degentem et inuicem cito peruenire potuerint<sup>13</sup>.

In epistula undecima Plinius imperatorem rogat, ut propinquis Postumii Marini, cui proxima infirmitas Plinium obligauit, ciuitatem tribuat. Mommsen et Otto in hac epistula de eadem ualetudine agi atque in ep. V putant. Sed probabilior mihi Stobbeii opinio uidetur, qui ex medicorum diuersitate diuersas infirmitates deducit. False tamen idem uir doctus hanc epistolam post Plinii praefecturam exaratam esse existimat. Contrarium, nisi fallor, ep. VII 21, ad Cornutum collegam in praefectura missa, probare potest. Si de eadem infirmitate in ep. XI ad Traianum et in ep. VII 21 agitur, Plinius initio a. 99 oculis laborasse et paulo postea ad Traianum nondum in urbem reuersum ep. 11 misisse uidetur.

Tempus, quo Plinius Traianum petiuit, ut Accium Suram praetura exornaret, non est certum, nihil tamen impedit, quin duodecima temporis ordine undecimam secuta sit.

Haec epistula ad auguratum uel septemuiratum obtinendum scripta est. Auguratu obtento Plinius ep. IV 8 composuit. Terminus post quem ep. IV 8 scripta, mors est Iulii Frontini, cui Plinius in auguratu successit. Mommsen, epistulis libri quarti a. 103-104 adscriptis, hanc petitionem eodem tempore missam esse statuit. Recte tamen Otto obseruat<sup>14</sup> uerba: "rogo, dignitati, ad quam me prouexit indulgentia tua, uel auguratum uel septemuiratum, quia uacant, adicere digneris" Plinium eo tempore aliquo officio functum esse indicare. Cum Frontinus a. 100 ineunte adhuc uiuus esset imperatorque Romae degeret,

<sup>10</sup> Alterum terminum MOMMSEN, alterum OTTO (*Op. cit.*, 71, n. 3), proponit.

<sup>11</sup> *Ibid.*

<sup>12</sup> Aliter STOBBE. (*Phil.*, 30, 364 sq. et 391 sq.) explicat, sed false, nam epistulis III-X a. 99 attributis eas Traiano in Pannoniam missas esse affirmat. Tunc longitudine itineris inter Romam et Pannoniam perpensa cursum quinque dierum "uisse statuit atque "accuratissimam" chronologiam obtinet: ep. III A missa est d. V ante Nonas Iul.; Traianus eam d. VIII ante Idus Iul. obtinuit; responsum (III B) sequenti die missum pridie Idibus Iul. Romam peruenit, etc. Ut in omni scientia accuratio laudanda sit, tamen STOBBE sine ullo argumento nimis probare uult. Itaque accuratissima eius constructio labitur, cum epistolae non a. 99, sed 98, neque in Pannoniam, sed in Germaniam missae sint.

<sup>13</sup> Cf. L. FRIEDLAENDER. *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms*, ed. 10 cur. G. WISSOWA, Lipsiae, 1921, I, pp. 330-331.

Otto epistolam a. 101 in Daciam a Plinio iam curatore missam esse censuit. Mihi quidem Plinii curatura in a. 104-106 transferenda esse uidetur<sup>15</sup>. Quare hanc epistolam a. 105-6 tempore belli Dacici secundi exaratam esse puto.

Epistula, in qua Plinius victoriae imperatoris maximae, pulcherrimae, antiquissimae gratulatur, a. 106 post bellum Dacicum secundum data est, cum Decebalus, rex Dacorum, captus Daciaque occupata esset. Otto, ep. 13 in a. 101 relata, hanc quoque epistolam post bellum Dacicum primum a. 102 exaratam esse censuit<sup>16</sup>, sed uix recte. Eius enim argumentum, quod in extrema epistula "cum uirtutibus tantis gloria imperii et nouetur et augeatur" uocabulo "nouetur" prior uictoria designatur, firmum non est. Post bellum primum uictoria tam magna non erat, ut Plinius eam maximam pulcherrimam, antiquissimam appellaret. Tum Decebalus, pace recepta, in regno remansit<sup>17</sup>. Uictoria autem anni 106 facile maxima erat.

Epistolae XV-CXXI iam a Plinio legato Bithyniae a. 111-113 ad Traianum scriptae sunt. Mommsen omnes illas epistulas temporis ordine editas demonstrauit<sup>18</sup>. Wilcken aliquos Mommseni errores de epistularum tempore correxit<sup>19</sup>.

IOSEPH ZARANKA

<sup>14</sup> *Op. cit.*, 95 sq.

<sup>15</sup> Cf. *dissertationis meae app. I.*

<sup>16</sup> *Op. cit.*, 96-97.

<sup>17</sup> Cf. C. PATSCH. *Der Kampf um den Donauraum inter Domitian und Trajan*, Uindobonae, 1937, p. 86.

<sup>18</sup> *Op. cit.*, 26 sq.

<sup>19</sup> *Plinius, Reisen in Bithynien und Pontus in Hermes*, 49, 1914, pp. 120-136.